



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

IV. De vacuo corporis naturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

bile tueretur noster Cornelius à Lapide, & alij quidam interpretes in hunc Pauli locum. Deinde eadem anima Pauli fuit per vnionem, & aliam vocationem intra eius corpus, & non omnino extra illud, vt docet B. Thomas 2. 2. quæst. 175. art. 5. & quidem alioqui Paulus non raptus fuisset, sed mortuus. Similiter ergo in præsentī, &c.

32.

Ad sextum argumentum contrarium dicendum est, corpus quidem æquale esse loco, in quo est quantitatiuè, vt docet Aristoteles apud P. Suarez tom. 3. in 3. part. disputat. 48. sect. 4. §. *Septima ratio*: at æqualitatem loci, & corporis locati duplicem esse: aliam aptitudinalem, aliam actualem; actualis est, quia corpus occupat totum locum, & non maiorem; locusque continet corpus aliquod, & præter illud, nullum aliud: quare in actu secundo corpus excedit locum, nec è conuerso exceditur a loco. Aptitudinalis æqualitas est, quia corpus aptum est occupare locum aliquem totum, eumque solum, & locus aptus etiam est continere corpus, & excepto eo corpore nullum aliud: cum autem huiusmodi aptitudo alia sit naturalis, alia obediencialis; consequens est, vt prædicta æqualitas aptitudinalis subdiuidenda sit in naturalem, & obediencialem. Qua autem ratione diuisa ac subdiuisa est æqualitas loci, & corporis locati, eadem ratione diuidi debet, ac subdiuidi inæqualitas ei opposita. Quibus constitutis, corpus positum circumscriptiuè in duobus locis adæquatis, esset iis simul & collectiuè sumptis æquale, æqualitate actuali siue in actu secundo, & ex consequenti cuilibet eorum seorsim inæquale, inæqualitate similiter actuali. Caterum esset hoc non obstante cuilibet æquale, æqualitate aptitudinali naturali: quia naturaliter esset capax & aptum, quemlibet eorum & non alium replere; similisque aptitudo in loco ei responderet: contra verò illis simul sumptis foret inæquale hoc genere inæqualitatis aptitudinalis naturalis, de quo loquimur. Itaque vno sensu esset alterutri seorsim æquale, & alio inæquale; & sic non sequeretur contradictio, quæ obicitur in argumento. Quod autem quilibet eorum locorum esset adæquatus locus eius corporis non argueret, dari æqualitatem inter vtramque, actualem vtique, quam inter illa hucusque negauī: quia nimirum eodem modo dicendum est, quemlibet eorum locorum fore adæquatum locum eius corporis, adæquatione dumtaxat aptitudinali naturali, siue in actu primo; secus verò adæquatione in actu secundo. Et quidem argumentum manifestè instatur in penetratione duorum corporum in eodem loco: hic enim locus iuxta doctrinam, & modum arguendi aduersariorum esset æqualis alterutri corpori, quia esset alterutrius locus adæquatus; & simul esset alterutri inæqualis, quia esset æqualis duobus corporibus simul sumptis: vnde & cuius seorsim inæquale: quod ergo hiæ responderint aduersarij, id dictum putent ad argumentum, quos nos impetunt.

33.

Ad septimum argumentum contrarium dicendum est, quodlibet vbi corporis in duplici loco adæquato collocati, eo modo quo collocari posse defendimus, fore circumscriptiuum: quia eius vi vnæ superficies corporis alias ambi- rent, ac circumscriberent: iuxta dicta à nobis

supra cap. 2. huiusmet tractatus. Sed fac, vbi circumscriptiuum tale dici, eò quod corpus ita huic loco circumferbat, vt non permittat, illud non esse in alio: sane hoc ita intelligendum est, vt habeat solum naturaliter non permittere positionem corporis in alio loco: quidni ergo posset corpus, non obstante eius vbi circumscriptiuo in hoc loco, esse miraculosè, ac supernaturaliter in alio? Ad postremum dicendum est; quamuis ex nostra sequatur sententia, quod corpus aliquod esse possit vbique, at in hoc consequenti nullam esse absurditatem: Haud enim inde vterius fiet, corpus vllum posse habere immensitatem, siue durationem Dei propriam: quia immensitas Dei importat esse vbique à se & imparticipatè, quod omni creaturæ tum corporeæ, tum etiam incorporeæ omnino repugnat. Rursus ex eo consequenti, quod admittimus, nequaquam sequeretur, corpus entitatiuè finitum habiturum, si esset vbique, quantitatem simul finitam, & infinitam; si fortè quantitas à substantia corporis quanti supponatur distincta: nam, vt entitas corporis, cesset finita sit, vbique poni potest, ita etiam huic eius positioni minimè repugnat, quod quantitas illius sit dumtaxat finita, & neutiquam infinita.

CAPVT IV.

De vacuo corporis naturalis.

34.

Postquam de loco corporis naturalis egimus, reliquum est, vt de eius vacuo nonnihil dicamus. Vacuum ergo est locus omnis corporis exers, naturaliter tamen aptus illo repleri: extra superficiem supremi cœli vacuum propriè dari censéo, ibi enim est locus imaginarius, & intercepto quedam infinita omnis corporis exers, tamen naturaliter capax: cur enim Deus alium mundum extra hunc, imò infinitos condere nequeat? Caterum intrà latera huius vniuersi vacuum naturaliter repugnare plerique Philosophi tenent, præter Democritum, Epicurum, ac nouissimè Turnebum, aliòsque paucos, qui facile impugnari possunt, in hunc modum. Non magis repugnat, eundem vniuersi locum duo corpora inuicem penetrata suscipere, quam aliquem locum omni corpore vacuum esse; sicut non magis repugnat, eandem materiam duas formas substantiales suscipere, quam omni forma carere: at illud prius naturaliter repugnat: ergo & hoc posterius. Minor quamuis ab aliquibus referente Alexandro opusc. de mixtion. & Fernelio lib. 2. suæ Physiologiæ negetur, à nobis tamen supra probata est, cum de raro, & denso ageremus, ac modo ostenditur vulgari, ac notissima experientia, quam his verbis proponit Greg. Nissenus lib. de resurrect. & anima; *Amphora admodum stagno non statim repletur, sed prius coactio intus aëre concanum sursum tollente innatat, quoad haurientis manu amphora pressa in fundo fuerit, ac tunc per os accipiat aquam: quo facto ostenditur, quod nec antequam aqua repleret, vacua esset: nam pugna quedam duorum elementorum cernitur, dum aqua, quæ propter grauitatem vi in concanum irrumpit, aër vero qui in concano interceptus deprehenditur per idem os in contrarium circa aquam coarctatus*


constrictus dilabitur, ac retro suus adeo, ut per hunc quasi interrumpatur, & impediatur; ac vi spiritus refracta, reciprocaturque, ac spumans, quasi è conchylio sonum edat.

Argumentor secundò à posteriori: siquidem ob id aqua per angustæ fistulæ meatus contra propriam inclinationem ascendit; è contrario verò eademmet aqua per vasis superius occlusi inferiora foramina iuxta propriam inclinationem non descendit, ne utrobique detur vacuum in vniuerso, aut aëre fistulam deserente, & aqua in eius locum non succedente, aut aqua per vasis fundum elabente, & aëre eius locum non occupante. Rursus, latera folium nulla vi separari possunt, si aëri ingressus ad replendum vacuum prohibeatur. Præterea, si tabula plana super aquam expansa vndeque simul eleuetur, aquam sursum attrahet, ne inter aquam, & tabulam vacuum detur breuissimo tempore, eo videlicet, quo locum aquæ ingredi tardaret. Superius etiam ostendimus, cum de raro, & denso ageremus, quatenus hyberno tempore vasa vacui cuitandi causa rumpantur; & quatenus, etiam caro agrotantis adhibitis cucurbitulis eadem de causa sursum intumescat.

36. Argumentor tertio à priori: si vacuum daretur in rerum natura, impediretur influxus cælorum in hæc inferiora, & sublunaria, eo quod accidentia per vacuum traici, & absque subiecto diffundi nequeant. Quod autem aliqui respondent, posse cælos non influere in hæc inferiora per modicissimum tempus; cur enim inquit, lapis absque influxu cælorum illicò annihiletur? Ergo iam tantillo tempore vacuum in rebus dari poterit. Hoc inquam, non satisfacit: quia quemadmodum reliquum corpus sine influxu capitis, cælique sui, ne per breuissimum tempus conseruari potest, abscissoque capite illico exanimatur: ita similiter probabile est, mundum hunc inferiorem, & quamuis eius partem absque cælestis mundi influenza ne minimo quidem temporis spatio conseruari posse. Nec magis satisfacit aliorum solutio, videlicet dato vacuo cælos non directè, sed obliquatis radiis, ac versus latera insinuat in mundum sublunarem operaturos: namque quemadmodum obiectum nequit emitte species suas ad potentiam nisi recto itinere, quo fit, ut manu inter visum, & obiectum interiecta defectu influxus directi visio conseruari nequeat: ita similiter probabile est, cælum non nisi linea recta qualitates ad mundi inferioris conseruationem necessarias demittere, & si quas linea indirecta infundit, eas ad nullius corporis sublunaris conseruationem sufficere. Qui plura velit de naturali impossibilitate vacui intra lunæ cauum, is adeat D. Hurtad. disp. 14. Physicor. sect. 6. & Conimbricens. lib. 4. Physicor. cap. 4. quæst. 1. art. 2.

37. Dubitabis primò: quæ sit causa motus illius, quo graua, & leuia, impediende vacuo, contra propriam inclinationem extra proprium centrum feruntur? Respondeo, causam, quæ locum euacuat, ab eoque corpus expellit, ad eundem locum replendum corpora vicina attrahere: hinc est, ut qui tabulam ex aqua attollit, maius pondus sentiat, quam si eam aliunde veheret. Probabile etiam est, ipsa corpora graua, & leuia saltem partialiter se se mouere ad replendum vacuum, cum motus ille communi bono deser-

uiat, ea verò ad commune bonum innatam inclinationem habeant. Dubitabis secundò: an possit exerceri motus localis in vacuo? Respondeo affirmatiuè: quia motus localis suapte natura terminatur ad vbi intrinsecum rei: at vbi intrinsecum in vacuo continuè produci potest: ergo & motus localis. Minor suadetur: superficies supremi cæli suum vbi intrinsecum habet, illudque sempiterna conuersione variat: at tale eius vbi non in loco reali extrinseco, sed in vacuo producitur. Dubitabis tertio: motus in vacuo factus quam durationem haberet? Albertus, Ariminensis, & alij docent, motum in vacuo per actum non tempori, sed instanti mensuratum iri. Cæterum mihi probabilius videtur, non nisi tempore successiuo rem per inane moueri posse: ita Scotus in 2. quæst. 9. B. Thomas in 4. distinct. 44. quæst. 2. art. 3. & vtriusque non pauci sectatores: item ex nostris Hurtadus citata disputat. 14. Physicor. sect. 6. num. 60. Conimbric. 4. Phys. cap. 9. quæst. 4. & 5. Bartholom. Amic. tractat. 21. quæst. 4. dub. 1. artic. 2. Cardinalis Tolet. cap. 9. quæst. 9. & Tellez disp. 32. sect. 5. Huius autem sententiæ, quam ut verior rem amplectimur, ratio est: quia terminus à quo, & terminus ad quem motus in vacuo facti inuicem distarent: quis enim neget polum Arcticum, & polum Antarcticum eandem, quam nunc, distantiam habituros; tamen corpora inter eos existentia perirent, solumque immanem quandam vacuitatem post se relinquerent: Igitur ob hanc distantiam motus in vacuo factus tempore egeret, ut à termino à quo ad terminum ad quem perueniret.



TRACTATUS II.

De tempore corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex sit tempus, seu quando corporis naturalis & cuiusuis alterius rei?

1. **Q**UÆ de loco, siue vbi supra differuimus, magna ex parte tempori, siue quando prædicamentali possunt accommodari. Quemadmodum enim vbi rei cuiusuis eius locus est, & è conuerso, ita similiter quando rei nihil aliud est, quàm eius tempus, siue quæuis duratio, aut mora, quam in existendo trahit: ita tamen, ut quoduis instans eius moræ, quando rei non raro appelletur: haud aliter ac etiam quoduis punctum loci interdum locus vocatur. Hac de causa rem esse aliquando, aut quodocunque perinde est, ac eam in aliqua, vel in omni temporis, alteriusue durationis differentia existere. Et quidem hoc argumento iam olim vsus est B. Damascenus cap. 38. Dialect. ad probandum nobiscum, quod tempus, & quando rerum non distinguantur inuicem. En eius verba: *Quando tempus ostendit: interroganti enim, quando factum est hoc, dicimus, anno præterito antepreterito, que tempus significant.* Confirmatur: non est, cur potius